



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Animus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

no superetur. Quæ quidem solers dimicatio, cum sit etiam Noctuarum propria, quæ majore circumdante multitudine resupinæ pedibus repugnat, collectæque in altum rostro & unguibus totæ teguntur, Accipiter simulac pugnam animadverterit, advolat Noctuis opem allaturus, atque ita quodam naturæ consensu eis auxiliatur. Nam & Noctua apud Athenienses victoriæ hieroglyphicum fuit, de qua suo loco, quæ ad rem spectant, diximus.

Sed minimè *πτεροειδὴν* puto ponere, quod in quodam Canone Imperialium militiarum apud Massæos Romæ vidi, militarem ordinem fuisse qui Accipitrem luteum in parma idemtidem lutea gestabant. Erant hi, qui Sagittarii Venatores nuncupabantur, qui sub Magistro peditum stipendia faciebant. Sed & alius ordo LAUNI nuncupati, infigne idem Accipitris lutei in parma idemtidem lutea gestabant, & sub eodem Magistro peditum merebant: eo tamen discrimine, quod Sagittariorum Accipiter caput in alam lævam vertebat, Launorum in dexteram. Jam de DIVITENSIBUS, Gallicana legione, quorum insigne erat caruleus Accipiter, colore tamen dilutiore, una cum Tauro, in ipsius Tauri commentario dictum invenias.

CELERITAS. CAP. XX.

**D**iodorus per Accipitrem volentem, per quem alii victoriam interpretantur, celeritatem ipse significari tradit: propterea quod in volatu sit omnium volucrum velocissima, vultque significatum ad res domesticas transferri, quæ cito fiant. Leges & Pterophoros apud Plutarchum, Othonia vita, qua locutione tabellarios intelligendum, quorum insignia forent surrecta pennæ ad celeritatem indicandam. Inde Juvenalis:

*Anxia præcipiti venisset epistola penna.*

AER. CAP. XXI.

**A**ccipiter ad hæc passis alis figuratus, elementum aëris indicat apud Ægyptios Sacerdotes. Atque adeo alæ pennatorum singulæ aërem significant: utpote solum Avibus proprium, perinde ac aqua Piscibus, terra aliis atque aliis solum est. Animadvertendum vero, locum de penis alisve corruptum esse in impressis Hori codicibus, legique debere, ut in manuscriptis exemplaribus antiquis, *πτεροειδὴν* & *αἰετῶν*. Inde quædam desiderari, quæ ad aliud pertinent significatum. Sunt qui ventos ex ea specie significari tradant. Ventus autem nihil aliud est, quam incitatus & fluens aer. Triclinius apud Pindarum Pelopis *πτεροειδὴν* velocissimos exponit. Sunt qui caelestium corporum ortum hinc interpretentur. Nam quæ sidera super horizontem attolluntur, volucrum in morem surgere, & per immensum inane ferri videntur. Pennata vero apud Mercurium talaria, nimirum Homericum illud innuunt, quod verba ipse volucra nuncupavit. Eadem ratione Irin & accipidem

*Virg. lib. 4.  
Æneid.*

*Irin de celo misit Saturnia Juno.*

ANIMUS, CAP. XXII.

**S**edenim cum etiam animi signum sit Accipiter, facile idemtidem celeritatis indicium esse potest, cum animi celeritas omnem exuperet velocitatem. Sedenim, sive victoriam, sive hanc quam alii ponunt alacritatem, ex Accipitre significari dixerimus, tantundem esse videtur.

SACERDOTIUM. CAP. XXIII.

**N**eque quidem tabellarii tantum alas gestare iussi, verum etiam Sacerdotes Ægyptii capita habuerunt alis insignia: quod quidem gestamen ideo susceperunt, quod Accipitri ex eo honorem habitum voluerunt, quem dictabant librum olim puniceis literis perscriptum, Thebas ad sacerdotes detulisse, in quo quidem libro, qui cultus, qui que honos diis deberetur, quaque ratione sacra plurima procuranda essent, notatum erat. Hinc eos Sacerdotes à Poëtis nostris Cristatos appellari comperias, ut apud Martialem:

*Linigri fugiunt calvi, cristatæq; turba,*

*Inter adorantes cum stetit Hermogenes.*

Habes,